Per presens scriptum notum sit omnibus tam presentibus quam futuris quod ego ALDEFONSUS DEI Gratia Rex Castelle et Toleti una cum uxore mea Alienor Regina et cum filiis meis Ferrando et Henrrico concedo et confirmo Concilio Toletano. sicut fecit pater meus Rex ALDEFONSUS bone memorie: quod omnes uille et aldee que sunt in termino Toleti siue sint mee: siue de apoteca mea. siue domini Toletani archiepiscopi. siue ecclesie sancte Marie: siue Salue terre: siue hospitalis. siue milicie templi. siue ordinis de Ucles. siue militis. siue cuiuscumque hominis: facendam faciant cum ciuitate Toleti. sicut faciunt ciues illius ciuitatis. Tamen excipimus ab hac generalitate Illescas que fuit propria hereditas Imperatoris et Ormos et Ocanam et Montalban cum suo termino que nunquam hoc fecit. Verumtamen de uillis domini archiepiscopi et aldeis et ecclesie sancte Marie. mandamus ita. quod pectam et facendam quam credimus illos debere facere cum ciuibus Toletanis. faciant eam non per manum eorum. set per manu hominis domini archiepiscopi. qui colligat et det eam alcaldibus Toleti Non enim uolumus quod alcaldes uel ciues Toletani habeant aliquam potestatem uel aliqua premiam super homines archiepiscopi et ecclesie sancte Marie: et extra pectam quam facient cum ciuibus Toletanis: sint liberi et imunes ab omni pecta et facienda Regis. Et si ego uel filius meus aut aliquis de genere meo uoluerit aliam pectam uel aliam facendam habere de hominibus supradictis domini archiepiscopi et ecclesie sancte Marie: non teneantur aliquam pectam uel facendam facere nisi cum ciuibus Toletanis. Siquis uero hanc cartam infringere uel diminuere presumpserit. iram dei omnipotentis plenarie incurrat. et cum Iuda domini proditore supliciis infernalibus subiaceat. et insuper Regie parti mille aureos in cauto persoluat. et dapnum quod super hoc intulerit. duplicatum restituat. Facta carta apud Alarconem. Era. M. CC. uigesima. Rege exp. iii. die febr. Et ego Rex A. regnans in Castella et in Toleto hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo.

Martinus Toletane sedis archiepiscopus hispaniarum primas conf. — Ferrandus — mar... conf.



Adericus	Palentinus	episcopus	conf.
Garsias	Burgensis	episcopus	conf.
Didacus	Oxomensis	episcopus	conf.
Rodericus	Segontinus	episcopus	conf.
Gondisaluus	Secobiensis	episcopus	conf.
Petrus	Abulensis	episcopus	conf.
Iulianus	Conchensis	episcopus	conf.
Iohannes	Calagurritanus	episcopus	conf.

Aluarus	Nunii	conf.
Rodericus	Didaci	conf.
Gomicius	Petri	conf.
Rodericus	Roderici	conf.
Ferrandus	Aluari	conf.
Martinus	Petri	conf.
Guillelmus	Gonsalui	conf.
Garsias Roderici	merinus Regis in Castella	conf.

Dominicus domini Regis notarius Abbas Uallis oleti Didaco Garsie existente cancellario scribi fecit.